



Ioannes natus est in oppido Imperij Vuila ad syluam Marcianam 30 Iunij, anno 1499. patre habuit Martinum Brentium, & matrem Catherinam Hienichiam, qui patefacto his temporibus Euangelio filij Dei, illam ediderunt pietatis confessionem, ut ciues (quibus Martinus aliquot annis Magistratu praefuerat) usitatam sepulturam negarint, & in profano agro condiderint. Horum parentum consilio Ioannes, cum felicissimo ingenio esset praeditus, operam literis dedit, & in patria prima literarum fundamenta iecit. Postea uero anno aetatis 12 sese Heidelbergam contulit, atque liberalibus artibus & linguis praeclearam operam nauauit. In Hebraea lingua praepceptorem habuit Matheum Hispanum baptizatum Iudaum, & Medicinae Doctorem, in Graeca uero Ioannem Oecolampadium. Cum in ea academia egregie profecisset, ipsam Philosophiam & bonas literas anno aetatis 19 docere coepit, atque magna laude per annos tres continuauit. Interea quoque Theologiae diligenter incubuit, atque Lutheri libros auidè legit. ad hanc eius eruditionem accedebat uitae innocentia, & facundia naturalis. Itaque cum talis esset, magistratus Halae Sueuicae eum anno 1522 ad suam urbem uocauit, atque Ecclesiasticum ministerium commendauit. Cum uero aetatis annum 30 ageret, Margaretham Greterin, insigni pietate & pudicitia uiduam, uxorem duxit, & ex ea pulchram sibi prolem comparauit, ex quibus Ioannes Theologus Tubingensis, cum sororibus Barbara & Sophia etiamnum supersunt. In eo loco per 26 annos perseuerauit, atque docendo & scribendo sese tale exhibuit, ut omnibus doctis innotesceret, atque Theologis doctissimis adnumeraretur. Propterea factum ut anno 1530, cum magna Augustana comitia celebrarentur, atque confessio fidei Carolo Caesari oblata esset, hic Brentius cum Melanchtone & Erhardo Schnepffio eligeretur, qui cum aduersae partis Theologis Vuimpino, Eccio, & Coclaeo de Missa, coniugio sacerdotum, coena Domini integra, uotis monasticis, & de iurisdictione Episcoporum disputaret, atque ob raram eruditionem in omnium ore uersaretur